

per occultissimos meatus eo fluere creduntur : locum ipsum Almiron accolæ appellant . Creduntur aquæ ipsæ ob torrentes proximis montibus decurrentes hyeme dulciores fieri ; fit itaque fluvius molis aliquot deserviens , qui mille passus intra continentem lapsus , ad boream in mare evolvitur . Ab ostio fluminis ad urbem tota maris ora impertuosa est . Hic terrestres copiæ dum forte exponuntur , ad centum milites temere ad molas progressi , ab hoste insidiis excipiuntur , exceptique ad unum trucidantur omnes ; his jacentibus virilia & linguas abscindunt Græci , illa dentibus , has natibus inferentes . Non tam cædes quam ignominia illa Venetorum animos in hostes exasperavit . Expositis itaque in continentem copiis , Michael classe circumvectus , ad urbem obsidendam ire pergit . Luchinus antequam inde moveret , ita dicitur milites allocutus : *Scio, viri fortes , neminem vestrum ignorare , cur per tam longa maris spacia victi in hanc insulam missi simus . Perfidiam vanamque Candacensium colonorum a Veneta indole jam omnino degenerantium , Græcorumque quorundam temeritatem ulturi venimus . Sed quo Venetorum causa est justior , eo fortius nos niti decet ut victoriam consequamur : ne si , quod nolim , nostra ignavia victi simus , appareat , meliorem Venetos habuisse causam , quam militem . Cæterum cum eo hoste res nobis futura est , qui neque natura bellicosus sit , neque armis expertus : quippe qui non tam suarum virium fiducia , quam lascivia & ocio in hoc belli discrimen se conjecit . Accedit ad hoc , quod non equites , non arma , non externa ulla habent auxilia : non denique aliquid , in quo spem ullam habere possint , præter suam stultitiam , quam secuti tam leviter periclitabuntur , quam discrimen ipsum adiere . Unum quidem verendum est , ne mœnibus inclusi nostram victoriam diutius morentur . Verum quia semper stulti , spero equidem ad pugnam exituros . Quod si tentabunt id facere , atque ii eritis qui debetis : vicimus . Locus præterea in quo sumus , bene pugnandi necessitatem omnibus imponit , omni spe fugæ ablata . Circumdata undique mari hæc terra est : locus nullus in ea ad quem confugere possi-*

*Luchini oratio ad milites .*